

05

A

1677





44

Q. D. B. V.
EXERCITATIONEM PHILOLOGICAM
DE

Amictu & Victu Johannis Baptistæ,

Ex
Matth. cap. III. vers. 4.

publicæ luci sistunt

PRÆSES

M. BALTHASAR STOL-
BERGIUS,

&

RESPONDENS

JOHANN-HENRICUS Hævefer/

Coalbensis Saxo.

in Auditorio Minori

ad Diem 27, Junii, horis matutinis,

WITTEBEGGÆ, Typis Johannis Haken, M. DC. LXIII.

13.





05 A 1677



Σύνθεσις παραγράφων



Uo in locô, quem ex Evange-
listâ notavimus, produntur de Johanne
Baptistâ: Unum de ejus *Amictu*, alterum
de *Viâtu*. Utrobiq̃ue gemina observan-
da veniunt. Ibi quidem *Indumentum* &
Cingulum; hic verò *Locusta* & *Melsylve-
stre*. De singulis peculiari sectione,
ducente Deo, agemus.

SECTIO I.

De Indumenti Materiâ.

§ 1. Non incommodum fore existimamus, si prius de lo-
cô, ubi degit *Baptista*, quædam monuerimus, quàm de *Indu-
menti materiâ* agamus. Etenim non in Templo Hierosolymi-
tano officium exequabatur, sed in desertô, ἐν τῇ ἐρήμῳ c. III.
v. i. ἐρημὸς & propriè est Adjectivum, ut desertus; sed substanti-
vè usurpatur, & foemininô genere, subaudiendo γῆ sive χώρα
h. e. *Terra deserta, desertum*. Plenè ap. *Luc. in Cauc. ἐρημὸν καὶ*
ἀπὸ ἀνθρώπων & γῆ, & *Xenoph. pæd. III. ἐρημὸν & χώρα καὶ ἀρῶς*.

§ 2. Duplici notione per S. Literas usurpari vocem Deser-
ti observavit *Motacut. Tom. I. Eccles. Orig. part. II. p. 358*. Vel enim
propriè sumitur, & in suâ nativâ significatione: vel sensu relativô
& modificatô, h. e. non simpliciter, sed secundum quid. Propriè
desertum

desertum est terra desolata, hominibus nec habitata, nec habitationi apta; sed prorsus infrugifera, arenis & sabulis referta, ariditate, siccitate, sterilitate infamis, ubi ferarum lustra, & dracones, serpentes, presteres &c. stabulantur; veluti prolixius describitur ab *Esai.* c. XXXIV. 12. *seqq.* in quale forsitan Christus subductus *Matth.* IV. 1. quando μετὰ θηρίων versabatur, teste *Marcô* c. I. 13. Secundum quid desertum dicitur locus, qui respectu aliorum, & ad campestem comparatus amœnitatem, saltuosus quidem & asper est, minusq; cultus, aliquot tamen urbibus & pagis habitatus.

§. 3. In hac posteriori significatione Desertum Baptistæ incolatu & ἀναστροφῆν nobilitatum cum plerisque accipimus, *Conf. B. Chemnit. Harmon. Christoph. Pelarg. quest. in Matth.* ad h. l. *Pareus* ad h. l. *alii.* Non igitur planè inhabitabilis terra intelligenda, sed aspera, saltuosa, quæ *Spanhemio & Montacutio* est ὄρειον *Lucæ* c. I. 39. in quâ & urbs & domus Zachariæ, adeoque patria Johannis. Etenim in Judæâ nullum propriè dictum desertum reperitur, sed hujus sex oppida *Jos.* XV. 51. numerantur. Minus etiam credibile est, Johannem poenitentiam prædicasse, & adhibuisse Baptismum in locô, ubi saltim feræ degabant, & rupes, caudices ac saxa eminebant. Neque est, quod dicatur eò confluisse turbam hominum, quia, antequam ejus fiat mentio, jam legitur prædicasse Johannes in deserto.

§. 4. Improbatur nostra sententia à *Pontificiis, Baronio, Maldonato &c.* qui Eremum hanc omnimodam solitudinem fuisse contendunt. Scilicet ut *Monastici ordinis* principium ad Johannem referant, ejusq; exemplo disciplinam suam tueantur. Sed frustra. Rectius facerent, si ab Essenorum Judæorum Ascetarum exemplo stultæ & hypocriticæ vitæ originem ducerent. Nihil similis quàm *Judæus Essenus, & Monachus Christianus*, scribit *Boxhorn.* qui utrinque comparatione institutâ assertioni fidem facit luculentam ex *Porphyrii de Abstinent.* l. IV. in *Histor. Univers.* p. 78. *seqq.* Nec abnuit ipse *Polydorus Virgilius*, qui cum aliorum opiniones recensuisset de Eliâ & Johanne monastici instituti autoribus primis, hæc subjungit verba: *Ego vero*

Verò, quando in re ambigua cuiq; liberum est conjectare, crediderim institut in monastica vita ab Essais sive Essenis, ita appellat Plinius, quorum secta apud Judæos admodum celebris habitata est; ad posterum mansisse, quoniam illi ferè per omnia eam ducebant vitam, quam inter nos Monachi ex prescripto legis agere solent. Quod deinceps prolixius probat de Invent. rer. l. VII. c. 1. p. m. 556. seqq. Sed nos hæc ad alios remittimus, quorum de his agere est.

§. 5. Ad rem ipsam porro accedimus, vestimenti materiam consideraturi, quâ de Evangelista hæc refert: εἶχε τὸ ἐνδύμα αὐτοῦ ἀπὸ λειχῶν καμήλου, habebat vestimentum suum è pilis Cameli. Τὸ ἐνδύμα est vestimentum in genere, indumentum, quicquid enim quocunq; modo, quâcunque parte ὀνομάζεται induitur, voce eâ exprimi & contineri potest, De materiâ ἐνδύμα-τος primò controversiam esse notat B. Franzius, quia Camelus vel κάμηλος græcum ambiguum vocabulum, modò significat animal, modò funem nauticum, qui sit ex lino crasso, Hist. animal part. I. c. 5. p. m. 60. Aliqui enim existimârunt materiam vestis fuisse pilos Cameli: aliqui statuerunt tunicam Baptistæ fuisse contextam ex lino crasso, uti est nostra cannabis; quod idèd Monachi Johannæi imitari studuerunt.

§. 6. Verum enim verò, si textum græcum accuratius inspiciamus, omne dubium statim solvitur. Aliud est κάμηλος per (n) scriptum, quomodo τυχθροφόρον ζῷον seu Camelum brutum quadrupes tridens notat: aliud verò κάμιλος per jota, quò τὸ πᾶχυ ἄκρον autoribus Suidâ & Scholiaste Aristophanis significatur, ὡς χρῶνται ναυταὶ πρὸς τὸ εἶπτεν τὰς ἀγκύρας, ut Theophylactus loquitur ad Matth. XIX. 24. rudens seu funis nauticus, quò nautæ ad jaciendas anchoras utuntur. Imò si verum fateri velimus, & vox κάμιλος, & illius significatio ficta est, nec ulla scriptoris idonei autoritate confirmata reperitur, teste Beza ad Matth. XIX. 24. Qui locus ansam dedit huic opinioni & novam vocis scriptionem ac significationem peperit; quod funis cum acu plus analogiæ haberet, quàm camelus. Ideò & alii, cum putarent absurdè dictum de Camelo transeunte

per foramen acus, finxerunt Hierosolymis portam quandam fuisse, cui nomen *Acus*, adeò humili structurâ, ut per eam Camelus ingredi non posset, nisi exoneratus, ut observavit *Erasm-schol. ad Epist. Hieron ad Salvin.* & ex eò *Martinius in Lexic.* qui putat & *Suidam ac Scholiasten Aristoph.* accepisse illam significationem *καμήλῳ* ab interpretibus, qui locum Evangelii sic exponebant.

§. 7. Rejicimus hîc *Pictorum* morem, qui Johannem camelinae cuti involutum, ceu Satyrum quendam exprimere cõsuerunt. Nam quod *pilis cameli*, non *pelle* constiterit Baptistæ vestimentum, Evangelistæ disertè tradunt. *Metaphrastes Syrus* singularem *καμήλῳ* *Mart. I. 6.* mutavit in pluralem: *Ipse autem Johannes indutus erat vestimento pili Camelorum.* Secutus eundem *Beza* est; sed à *Ludovic. de Dieu* improbatur, ut minus prudenter factum. *Neg;* enim hîc, ait, *pili multorum Camelorum intelliguntur, qui ab eorum velleribus avulsi; deinde rursus contexti fuerint. Sed unius Cameli pilosa pellis intelligitur, quam corporis suo circumjecit, & pelliceo cingulo firmavit.* Verum nihil facit singularis ad probandam pellem, cum & *Enallage* numeri frequens sit, & *τείχες καμήλῳ* idem dici possint ac *τείχες καμήλεια* pili camelini, purâ & usitatâ loquendi ratione.

§. 8. Ex verbis Christi *Matth. XI.* colligi potest, quæ vestis Johanni fuerit, *aliena à molliti, deliciis & splendore aulico* Non sordida, sed simplex tantum, vilis, rudis & accommoda loco, ubi docebat, *ἐν πορῶ* quoq; *ἐν τῇ ὄρεινῃ*, ubi Camelorum multitudo. Non tamen dixerim eòdem planè modò, contextam fuisse vestem Baptistæ, quò *undulata* hodiæ, quæ *Schamlot* nostris vel *famelot* appellantur, ut *Schindlero* in *Lex. Chytræo* ad h. l. aliisq; visum est. De panno istò ita *Cornel. Kilian. in Etymol. Teuton. Ling. Kamelot* *(Vestis undulata, cymatilis, capripilia.* *Vulgò Camelotum, Chiambelotum, Cambellotum, Zambellot, voce Gallis, Italis, Hispanis aliisq; communis, quod scilicet è Camelorum, præcipuè Caspiorum, ut scribit Ælianus, & caprarum villis & pilis contextatur.*

SECTIO

SECTIO II. De Cingulô.

§. 1. *Cingulum* tam muliebre quam virile gestamen apud Ebræos erat, quò intra pectus lumbos præcingerent, & vires ejusdem unnirent ac confirmarent. Pro ornamento quoque corporis habebatur, quod benè cinctum pulcrius & speciosus apparet. Hinc apud *Homerum* εὐζωῶ mulierum epitheton est, quod εὐκόσμητ interpretatur *Eustath. ad: il. a. & i.* Et Judæi cogens ad luxum maximè abutebatur *baltheis*; quam ob rem gravissimè apud *Prophetas* reprehensa legitur. *Johannes* relictâ aliis *aurearum, byssinarum, linearum Zonarum* pompâ, aptavit sibi ζώνην δερματίνην, i. coriaceam, ut lumbos cingeret, quod & consuetudo gentis, & togarum fluxarum ratio exigebat. Vilis & parabilis cinctus erat, geminus illi, quò *Elias* olim usus, qui וְעָבַד אֱלֹהִים בְּצִנְדָּה אֶרְצָה cingulo pelliceo accinctus fuisse lumbos suos dicitur 2. Reg. I. v. 8,

§. 2. Variarum rerum symbolo atque argumenta habebant *Zona*, preparationis, promptitudinis, strenuitatis & fortitudinis. Ita militum erat περιζώνυσα τὰς ὀσφύας, & accingi sæpè pro armari reperitur. Apud *Homerum* ζώνη notat ἱλὴν πολεμικὴν ὀπλισμῶν universam armaturam bellicam *iliad. β. v. 479.* exponente *Eustathio*. Idem ad *il. i.* notavit, vocem εὐζώνον à *Poëtis* post *Homerum* ceu proprium epitheton tribui viatoribus, qui benè expediti, præter leve indumentum solâ constringebantur *Zonâ*. Eosdem & μονοζώνους ac ὀιοζώνους appellatos fuisse refert. *Israelitas*, cum ad fugam se pararent, lumbis præcinctos ac calceatos & cum baculis Paschale convivium celebrâsse ex *cap. XII. ii. Exod.* cognoscimus. Etiam qui ministrabant, cingi consueverunt. Hinc altè cinctos atrienses dixit *Phædrus*. *Homer. ὁδ. ξ. ὡς εἰπωὼν, ὥς ἦεν θεὸς Ἰωέργε κίλωνα*, quod *Eustath. σὺ δὲ δὴς δηλωτικὸν* diligentia argumentum dicit. *Servius ad Æneid.*

neid. VIII. Præcinctos strenuos dicimus. Cōtra laxi9 *cinētus* aut *discinctus* pro molli, delicato, effæminato atq; ignavo habebatur Ovid. l. 1. Amor. eleg. 9. *Ipse ego segnis eram, discinctaq; in otia natus.* Conf. Taubman. ad Plaut. Bacchid. act. III. sc. III.

§. 3. Denique pudoris ac Virginitatis signum erat Zona, apud Latinos, Græcos & Ebræos. Vetustis enim temporibus puellæ, quandiu virgines erant, fasciam virginalem gestabant, quã vir primã nocte in Dææ Virginis honorem, & ominis gratiã sponsæ accubans solvebat, ut & ipse felix esset in liberis suscipiendis. Spectat huc Homeri versus *odys.* λ. λῦσε ἢ παρθενίην ζώνην, solvit autem virginalem Zonam, Et Catulli: Quod Zonam solvit diu ligatam Scaliger, Zonam solve Latinis dicitur, quæ traditur viro: Græcis quæ primum parit, Plura vid. ap. Fessel. l. 6. & l. 2 c. 24. p. 164. Veteres viatores, milites, alii, aureos & argenteos numos in Zonis ferebant, quod apparet è *Matth.* X. 9. *Marc.* VI. 8. C. Grachus apud Gellium: *Zonas quas plenas argento extuli, eas ex provinciã inanes retuli.* Eundem vocis usum apud Horatium, Juris Autores, Svetonium, Spartianum, Lampridium alii annotarunt, Vid. Dilherr. Tom. I. disp. philol. p. 200.

§. 4. Cæterum communissima Scripturæ phrasis est, accingi *circa vel supra lumbos*, ut frustra quidam, *Tostato* teste, opinari fuerint, Johannem Zonam illam habuisse circa cæterum nullo intermedio, quia dicit Evangelista circa lumbos. Cui sententiæ *Abulensis* quoque accedit ap. *Montacutium* l. cit. quando ait; *Magis videtur convenire literæ, quod esset juxta carnem quàm super vestes.*

SECTIO III. De Locustis.

§. 1. Cum vocabulum hoc ambiguum sit & πολῦσημον, neesse est, ut de diversã ejus significatione primùm agamus. Legi-

Legitur de *Locusta* apud *Ecclesiast.* c. XII. 6. in allegoricâ sene-
ctutis descriptione: *Florebit amygdalus, & impinguabitur lo-*
custa. In Ebræo est *אמגדל*. Rationem allegorias exponunt
Glass. Philol. sac. l. 5. p. 488. & Philipp, qui videri possunt ap.
Dn. DGeier. in Comm. adb. l. Deinde Spirituales Locustæ è fu-
mo prodeunt in *Apocalypsi Johanni.* c. IX. describuntur, quarum
rex est *Abaddon* s. *Ἀπολλύων* v. 3. 7. & 11. Sunt & in *avenâ,* quæ
græcè *ἀκείδρα,* *Plinio* *Locustæ* dicuntur *lib. XXII. Histor. Nat. c.*
25. prout illum locum *Hermolaus* restituit, cum antea *Lobas* pro
Locustas legeretur. De *ἀκείδρα* ita *Discorid. l. 2. c. 87,* *Avena* ge-
nicula quædam habet; folio & stipula triticum imitatur, &
in cacuminibus dependentes parvulas veluti locustas [*ὡσπερ*
ἀκείδρα, δίκωλα] gerit, in quibus semen continetur.

§. 2. Præterea *Locusta* nomen proprium est perditissimæ
venificæ, quæ è *Galliis* ad *Naronem Imperatorem* accersita, ha-
bita; charissima, ipsum veneficia edocuit. Meminere ejus
Tacitus Annal. l. XII. c. 66. l. XIII. c. 15, Sueton. in Nerone. c. 33. Cum
objurgaretur, quod *Britannico* lentum nimis venenum parâsset,
tantæ violentiæ aliud coxit, ut cœnans cum *Nerone* ad primum
gustum, & inter bibendum *Britannicus* conciderit & exspirâ-
rit. Aliæ vicissim *Locustæ* traduntur *Aquatiles,* aliæ *Terre-*
stres. Illæ sunt *cancris marini Meer Krebsen* magni adeo & va-
lidi, ut hominem chelis suis comprehensum submergere que-
ant, teste *B. Franzio Hist. anim. tr. 3 c. 7. p. m. 688.* Agit de his
Plin. l. 32. c. 11, & l. 9. c. 30. Ad quem locum *Masfarius:* *Locusta*
marina est è crustatorum genere maxime, quæ *καράβη* græcè
dicitur, astaco similis, Pedibus utroque ex latere quinque, ulti-
mis annumeratis, qui in forcipem exeunt denticulatum; cujus
pars anterior, quam caput appellant, tota spinulis horret &c.

§. 3. Atque sic hunc locum interpretatur de cancri *Stige-*
lius in Hypomnem. quam sententiam quoque sequitur *Philippus.*
Franciscus de Fogerolles Consiliar. & Medicus in Gallia Regius in
præfat. super dissert. *Porphyr,* *περί Ἀποχῆς,* ubi recitaverat du-
as sententias de plantis & *Locustis* insecto, *Ego,* subjicit, *in ab-*
strusam prioribus seculis interpretationem me confero, quæ duabus

B

præca

precedentibus rationum robore non paucis ante ponenda videtur.
 Mox cum de austeritate vitæ Johannis, quod pane & vino ab-
 stinuerit, quædam inseruisset: *Credibile est, ait, in locum vini*
saluberrimas Jordanis aquas, in locum panis, cancrorum fluviali-
lum parenchymata suffecisse. Proinde ἀκείδης locustam significat:
locusta a. species est cancri, sicut κακίς, & per metathefin ἀκείδης U-
bi verò sunt ista rationum pondera? ne unicam quidem affert.
Ait, credibile est. Sed nobis secus videtur, cum tales cancri non
reperiantur in ripa Jordanis sed in mari. Cumq; cancrorum
usus in lege ceremoniali prohibitus esset, verisimile haud est,
ur Franz. scribit l. c. p. 816. Johannem eos comedisse, qui legis il-
lius adhuc studiosus erat. Deinde verò minimè pro ἀκείδης
κακίδης licet reponere. Adde, quod ἀκείδης apud probatos
Autores nunquam significant cancras.

§. 4. Cæterum quod *Locusta* apud Latinos inter μαλα-
 κὸς ῥακα recenseantur; manifestum est, & jam ex supra dictis
 constare potest: at eam ambiguitatem *græca vox ἀκείδης* nun-
 quam admisit. Nisi quis huc trahere vellet, quæ *Aristoteles*
I. 9. Histor. animal. prodit, πολλοὶ, ἴκαὶ τὴν ἀκείδα ἐωράκασιν
&c. Multi quoq; Locustam viderunt, quanda cum serpentibus pu-
gnat, apprehendere colla serpentum. Verum Plinius eadem de Lo-
custa In secto recitat l. XI. c. 29.

§. 5. Afferimus igitur ἀκείδης, quibus præcursor Christi
 vescebatur, fuisse *locustas, Insectum*, describens *Hadr. Jun. in*
Nomenclat. infirmis pennis alatum, ac proinde altius non evolans,
sic dictum ab uredine locorum, quæ attingit. Græcè ἀκείδης, τῶν
τῶν ἀκείδης τῶν ἀσάχων καὶ τῶν φυτῶν νέμεα, quod summi-
tates herbarum & frugum ambedat & perdat. Animal noxi-
um est & frugibus infestissimum. Deorum iras Plin. nominat l. c.
Immensas tractus permeant, diraq; messes contegunt nube, multa
contactu adurentes, omnia v. morsu erodentes, & fores quoq; te-
ctorum. Quantopere Italia, Lemnus, Cyrenaica regio, Syria à
Locustis infestata fuerint, ibidem prolixius memorat idem
plinius. De calamitate, quam Ann. Ch. 1542. Germania, Ita-
lia, Polonia intulerint Locusta, consulatur Matthioli. ad Dio-
scor.

scor. l. 2. c. 46. Plura habentur ap. B. Franz *iv. 4. c. 10, p. 810.*
Clenard. Epictol. festiv. apud Heins. in exercit. ad loc. Matthæi
præsent. adduct. Germanis *Locusta* & *Cicada* sunt *Hewschre-*
cken. Hew est relectum gramen, foenum. *Schriccken* subsiliri,
quod in foeno saltitent. Unde in *Saxonia*, alicubi *Springperde-*
cken vocantur, teste *Martinio in Lex.*

§. 6. Quod v. edules fuerint aliquæ *locusta* non solum in
Judæâ, & aliis regionibus Orientis; sed & in Græcia atque op-
posita Asia, probarunt jamdudum eruditi viri multis Veterum
scriptorum testimoniis. Adeò ut *Casaubonus* affirmet, non
magis licere de eò dubitare, quàm de quâvis aliâ re certissimè
notâ, in exerc XIII. Neque negat *Fogerolles*, imò inficientes
Naturalis Historia pariter & *sacra parum cautos pronunciat.* Iis
de vesci solitos fuisse *Afros*, qui *Leptin.* incolunt, autor est
Dioscor. l. 2. c. 46. Idem de *Parthis* tradit *Plin. l. XI. c. 29.* de *Indis*
l. VII. c. 2. Quin & *Cicadas* locustis affine animalculum in ci-
bum receptas, testantur *Ælian Hist. An. l. 12. c. 6.* *Athen. Saπv. l. 4.*
Plin. l. XI. c. 26. Sed & *Casaubonus* cit. l. observat, apud Græcos
Poetas *Aristophanem* & *Nicophonem* antiquissimum non *ἀχει-*
δας modò inter viles pullatæ plebeculæ cibos poni, verum eti-
am *σέπφ85*, vilissimum insecti genus, & ut volunt Grammatici,
formicis assine. Idem asserunt *Patres*, *Clem. Alexandrinus*, *O-*
rigenes, *Hieronymus*, *Hilarius*, *Ambrosius*; *Theophylactus*, qui
vid. ap. *Montacut l. c. p. 381. 382.*

§. 7. Coeterum & peculiaris natio *Æthiopum Struthopha-*
gis contermina, quæ tantum locustis vivit, à *Plinio* comme-
moratur l. VII. c. 30. & *Sirabone* lib. XVI. qui modum quoque
conficiendi ibid. prodit. Eadem *Diod. Sic. narrat l. 3.* qui populos
istos *ἀχειδοφδγ85* appellat, sicuti & *Agatharchidas*, qui *ἀχειδα*
disertè *ζῷον* s. animal vocat. Neque dici potest, quod cibus
iste immundus fuerit, & gentilibus proprius: quia clarè *Levit.*
c. XI. 22. in escam conceduntur *locusta*, *bruchii* &c. A Rabb. 8.
numerantur *Locustarum* species, quæ mundæ sunt. 1. *Chagab.* 2.
Rabbanit. 3. *Chargol.* 4. *Uzercaja.* 5. *Arbeh.* vulgò *Locusta.* 6. *Avi*
vinearum. 7. *Solham.* 8. *Juhanna Ierosolymitana.* Vid. *Hottinger*
de

de jur. Ebræ. leg. 151. p. 207. Tandem ut Veterum autoritates
omittamus, nostris quoque temporibus locustas in cibum usur-
pari ab iis, qui Arabiæ & Africa solitudines incolunt, testis
est *Barrius Lusitanus* ap. Pelargum *quæst. in Matth. c. III. p. 44.*
Quod à *Clenardô*, quem supra laudavimus, pariter confirmatur.
Belum, ait, strenuè cum iis gerunt rustici; & plaustra plena locustis
advebunt Fesam. Nam hos hostes hîc vulgò comedunt. Nolumus
a. judicium hîc fieri è nostris locustis, animalculis noxiis & ve-
nenosis. *Multa locustarum genera sunt, diversâ quantitate &*
structurâ prædita. P. *Kirsten.* in *Not. ad Arab. Evangel. Matth.*
affirmit se ex Præceptoris sui Arabici ore audivisse, quod sæpè
circa Jordanem locustas comederit, quæ mediocris magnitudi-
nis instar avium nostrarum montanarum essent, quas sylvestres
vocamus. Majores a. in Indiis reperiri Apud *Africanos, Sy-*
ros, Persas in cibum recipi illas, quæ *carentalis, & Africa, atq;*
onisci à *Dioscoride, à Plinio Attelabi* nominantur, meminit
Scaliger Exercit. 192.

§. 8. *Perottus* indignum existimat tanto virò, quò non
surrexit major, vesci locustis. Quare cum ἀκρεῖς notent ver-
tices montium, ἀκρεῖδας interpretatur *summitates herbarum vel*
olerum, quibus melle confectis Johannes usus sit in cibo. Est
hæc *Isidori Pelusiotæ* sententia, l. 1. *Epist. 132.* viri alioquin, *Causo-*
bono judice, docti, & proxima *Palæstinæ* incolentis, ut proinde
mirum sit, ipsum in diversa hîc abiisse. Ille ἀκρεῖδες, ait,
quibus vescebatur Johannes, non sunt animalia scarabæis similia,
ut imperitè quidam existimant, absit: ἀλλ' ἀκρέμους βοτάνων ἢ
φυτῶν, *summitates herbarum vel plantarum.* At in *Epist. V.* e-
jusd. libri ubi eadem habentur verba, pro φυτῶν legitur φύλ-
λων foliorum. *Paulinus* de *Baptistâ* sic canit:

Præbebant, facilem victum sylvestria
mella,
Pomaq; & incultis enatæ cautibus her-
bæ.

§. 9, Sed

§. 9. Sed Johānes austeritate vitæ, commendandâque omnibus pœnitentia quâ maximè insignis, durum quoque & ingratum duræ & rigidæ convenientem vitæ cibum sectabatur. Velci locustis adeo inaudita & execrabilis res haut erat. Neq; in eò austeritas ponenda, quod locustas esiraret: sed potius, quod nulli in Judæa eò modò viverent, saltim illo non aliò cibò uterentur, uti Montacut. habet. Quod ipsam Evangelistæ vocem attinet, in istâ significatione non reperitur, nisi quod apud Dioscorid. supra notavimus, quædam in avena esse quæ ἀξειδες appellatur. Diversissimæ res Græcis sunt ἀξειδες, ἀξειες ἀπέμωες vel ἀξέσπυα, neque hæc in illius locum licet substituere. Olim inter alimenta eorum, qui rigidissimi jejuniorum observatores erant, ἀξέσπυα habebantur. Ultimum circa jejunia gradum Epiphan. l. 3. facit eorum, qui etiam ἀπο ἀξέσπυων καὶ ἰσχυμάτων à jusculis olerum & fructibus abstinebant. Hinc deceptum fuisse Isidorum autumat Casaubonus, ut confunderet ἀξειδες & ἀξέσπυα, contra omnium Græcorum autoritatem. Sed & Baronius hîc fallitur, qui Isidori recitata opinione, subjicit: *Constat græcam dictionem ἀξειδες & Locustam insecti genus, infirmas habēs alas ad volandū, & summitates herbarū significare.*

§. 10, Jacobus de Vitriaco Historiæ Hierosolymitanæ cap. 53. scribit se reperisse in Monasteriis Palæstinæ juxta Jordanem victum Monachis ministratum de quibusdam herbis, quas vulgò Locustas illi appellabant. addidisse a. monachos, hisce cibis Baptistam olim victitasse. Eadem è descriptione terræ sanctæ Borchardi refert Montacutius Tom 1. Origin. Eccles. p. 11. fol. 377. Somnium hoc est ignavorum & rudium manachorum, qui de cibis suis ipsi viderint; at quod Johannis illiusmodi fuerit, absq; dubiò falsi sunt.

§. 11. Alii hunc locum de piris vel malis sylvestribus exponunt, & pro ἀξειδες legunt ἀξείδες. Sententiam hanc Cujacii JCTI fuisse refert Dn. D. Friedlieb. in observat. ad h. l. Ἀξείδες est pirus sylvestris apud Dioscorid. Ipsum postea fructum arboris significat ap. Arist. Hist. Au. l. 8. c. 6. qui ἀξείδι sues saginari prodidit. At corruptionem hanc Codd. non admittunt, qui omnes summò consensu legunt ἀξειδες

§. 12. *Ebionite* in suo Evangelio reponerent ἐγκρις. Locum de Johanne adducit *Eriphanius*, & ex ipso *Heinsius*: καὶ ἰδὲ βρώμα αὐτῶν μέλι ἀγροῦν, ἃ ἢ γεῦσις ἦν τὰ μάννα, ὡς ἐγκρις ἐν ἐλαίῳ, h. e. *Et cibus ejus erat mel agreste, cujus sapor similis Manne, tanquam ἐγκρις in oleo.* Sed quid ἐγκρις? *Martin. in Lex. Libum quod in oleo coquitur, & melle addito fit dulce; similia mellita, laganum frixum cum oleo & melle.* *Hesychio* est γλυκὰς ἐξ ἐλαίου ὕδαρες. Hanc corruptam lectionem emendare, sed infeliciter conatus est *Heinsius* ex *Suida* h. m. ἐγκρις, γλυκασμα ἐξ ἐλαίου ὕδαρες. Nondum patet, quomodo ex aqua & oleo hujusmodi πεμμάτῳ coqui queat. Igitur ἐν ἐλαίῳ rescribendum erat pro ἐξ ἐλαίου, quod nos *Atheneus* docet, l. XIV. ἐγκριδες, πεμμάτιν ἐφόμῳ ἐν ἐλαίῳ, καὶ μετὰ τῷτο μελιτῶμον. *Heinsium* verò à suis *Hellenistis*, quos hic confert, & ab iis *Ebionitarum* lectionem desumptam conjicit, deceptum fuisse autem at *Crojus Observat. in N. F. c. 35. p. 262.* Nam ipsi huic sententiæ favere videntur, quando *Num. XI. 8.* scribunt, καὶ ἦν ἡδονὴ αὐτῶν, ὡς γεῦμα ἐγκριδῶ ἐξ ἐλαίου, & illius dulcedo erat, tanquam gustus lagani ex oleo. Rectius tamen iidem *Exod. XVI. 31.* ὡς ἐγκρις ἐν μέλι. Ὑδαρες igitur bellarium istud dicitur, non quod aqua subigeretur, cum panes aquâ subigantur, neque tamen ὕδαρες dici possunt: sed quod paulò esset liquidius ceteris bellariis, apud *Crojum* loc. cit. De hac *Ebionitarum* mutatione quid statuendum verbis *Eriphanii* dicemus: ἵνα δῆθεν μετὰ σπέρψωσι τὸν τῆς ἀληθείας λόγον εἰς ψεδδῶ, scilicet ut converterent in mendacium veritatis sermonem pro ἀκριδες reposuere ἐγκριδες.

SEDTIO IV.

De

Melle sylvestri.

§. 1. Sicut ἡ ἐρημῶ, in qua Johannes degebât, ipsi *Locustas*,

cuslas præbuit, sic & *mel* dedit, & quidem ἀγείον, Syr. נִשְׁרָד
נִשְׁרָד *mel deserti*. In diversas & hic abeunt Autores senten-
tias. *Beda Mel, ait, sylvestre folia sunt mira dulcedinis; quod do-*
ctrine Johannis miram suavitatem ostendit. Atque in l. de loc.
sanctis: *In deserto sunt arbores folia lata habentes & rotunda la-*
etei coloris & melliti saporis, que natura fragilia confricantur & e-
duntur. Hocq; esse *mel sylvestre dicitur.* Sequitur hunc *Rabban.*
Al i humorem ex cannis sacchariferis apud *Aquinat.* in *Caten.*
intelligunt. Sed hujus rei nulla testimonia & rationes afferri
possunt.

§. 2. *Suidas* putat fuisse *rorem caelestem*, quem *Manna*
dicunt. At diversissima sunt ἀγείον μέλι & *Manna*, sive illud
intelligatur, quod *Israelitæ* olim per 40. annos nutriti, sive quod
hodie in officinis ob similitudinem ita vocari meruit. In prio-
rem sententiam propendere videtur *Fogerolles* l. c. ut non mi-
nus *Baptistæ* Deus in penuriâ deserti opitulatus fuerit, ac o-
lim *Mosi*. Sed frustra miracula finguntur. In *Palæstina* sum-
ma abundantia & mellis copia fuit, adeò ut de arboribus in
terram deflueret i. *Sam.* XIV. 27. Hinc pleriq; locum hunc in-
terpretantur de *melle in sylvis ab arboribus in terram destillante.*
Notum quoque est, quod sæpè in scripturâ reperitur de terrâ
fluente melle & lacte: in quâ vel è cavernis ac fissuris rupium e-
manabant mella *Psal.* 81. 17. Nihil eò hodieq; communius in
vastissimis *Sarmatiæ* Regionibus, *Polonia*, *Lituania*, *Moscoviâ*
aliis.

§. 3. Quod hodie in officinis *Manna* vocatur, *Ros Syria-*
cus est, & in *Libanò* monte colligitur, *Martio* saltim & *Aprili*,
non saturat, nec gignit bonum sanguinem; sed medicamentis
miscetur. *Martin.* in *Lex. Keckerm.* tres *mannæ* species recen-
set, *Syriacam*, *Germanicam* & *Calabricam*; simile quid in *Polo-*
nia quoque colligi observat *syst. phys.* l. 6. c. 10. Est & aliud *ru-*
sticorum manna, sed vitium potius roris, *Mehlbaw* / noxium
frugibus.

§. 4. Cum igitur perspicua sint verba textus, opus haud
est,

est, ut longè ipsorum arcessamus intellectum. *Propriè acci-*
pimus mel, quod ἀγρίον dicitur Evangelistæ, tum quia reper-
um ἐν ἀγρῷ, tum quia γεωργέμιον ἐπὶ μελισσῶν ἀγρίων, ut
 habet *Theophylactus*, contradistinctum illi, quod apes cultæ da-
 bant, & ars & cura ex parte. Spontaneus erat hic cibus, obvi-
 us, inemptus æquà ac locustæ; natus, non paratus, frequens ἐν
 τῇ ορεινῇ. *Montacutius* arbitratur mel illud ἀγρίον etiam pos-
 se vocari ob *qualitatem*, quod ab omni voluptate & dulcedine ab-
 horrens, injucundum fuerit amaritudine. Quæ *Isidori* sententia
 quoq; est, fuisse illud ἐπὶ μελισσῶν ἀγρίων γινόμενον πικροτά-
 ταν καὶ πάση γεύσει πολέμιον, acerbissimum & omni gustui ini-
 micum. Aliis tamen minus probatur, & ipse *Montacut.* deinde
 rejicit.

§. 5. Equidem *mel amarum* reperiri testatur *Diodor.* Sic,
Strabo, circa Phasin Colchidis flumen περὶ Ξεῖν ἢ πλέον scri-
 bit. Non verò causa ea est, quod in agro reperiat, vel ab api-
 bus sylvestribus stipetur & colligatur. Hæ enim, quæ & *Rustica*, o-
 pere atque labore eximiæ ac præstantes à *Plin.* perhibentur l. XI.
 c. 18. Mellis differentia non est petenda ex apibus (quanquam
 & hæ distingvantur) sed ex pabulò. Nam quod in *sardonia* mel
 amarum reperitur, sit ἀγρὸς τῆς ἀψινθίης νομῆς propter *absinthium*,
 ut habet *Dioscor.* l. 2. c. 102. Hic nolo omittere, quæ *Plin.*
 loc. alleg. c. 16. narrat: *Tertium genus mellis minimè probatum, syl-*
vestre, quod Ericæum vocant. Convehitur post primos autumnii
 imbres, cum erice sola floret in sylvis, ob id arenoso simile. *Humi-*
lis en. ericæ flos arenâ, quam imber cadens excitat, con-
stergitur.

TANTUM.



05 A 1677

ULB Halle 3
003 779 076




0

VOM

60.







9.4

PHILOGICAM

Victu

ptistæ,

.vers. 4.

R STOL-

IS,

VS

CUS Hævefer/

noris

matutinis,

taken, M, DC. LXIII,